



Plautus ?

871.

Pg. Yal. IV

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI SECUNDI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XVI. M. APRILIS AD D. XV. M. AVGVSTI A. MDCCCCI

HABEBVNTVR.

*Verba, Tolleribus
De Acci iudicis de Corvelli = Plautus*

BEROLINI

IMPRESSIT GVSTAVVS SCHADE (OTTO FRANCKE).

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

<https://archive.org/details/deacciijudiciode00vahl>

27
1812
F. 12

Varro

VNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GVILELMAE
RECTOR ET SENATVS.

Non libellos tantum sua fata habere sed et sententias et verba quis hoc nescit? Nota sunt quae Accius poeta tragicus de comoediis Plautinis scripsit a Gellio in tertio Noctium Atticarum c. 3 relata. Cuius verba quae olim varie depravata circumferebantur postremo Hertzius ad librorum memoriam exacta in hunc modum edenda curavit.

M. tamen Varro in libro de comoediis Plautinis primo Accii verba haec ponit: 'nam nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus Plauti, nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit, neque adeo Agroecus neque Commorientes Macci Titi.'

Accii verba a Gellio ut scribit non ex ipsius aliquo libro sed ex Varronis de comoediis Plautinis excerpta identidem a doctis hominibus tractata et retractata sunt, sed ea ne nunc quidem ita sunt profligata, ut iam nihil sit quod utiliter adnotari possit, immo orationis formam, qua recte accepta continentur omnia, videmur nobis, si non totam, aliqua certe ex parte melius quam adhuc factum est declarare ac tutari posse. Id igitur hac scribendi occasione persequi volumus, si forte contigerit ut aliquid ad recte percipiendum usum consuetudinemque sermonis Latini conferamus.

Ergo Accii verba, quae ex quo libro Accii sumpta sint nec Gellius neque quem is citavit Varro indicat, in libris eius DIDASCALICON posita fuisse rei et sententiae causa probabiliter post alios statuit Madvigius, is qui (a. 1831) primus horum librorum originem et naturam luculenta disputatione explanavit reliquiasque eorum a grammaticis allatas collegit et emendavit, in quibus nostra illa verba sic perscripsit (Opp. I p. 94)

nam nec Gemini nec Leones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit, neque adeo Ἀγροίκος neque Commorientes, sed M. Aquillii,

nisi quod de extremi nominis veritate se valde dubitare profitetur.

Madvigiana commentatione excitatus G. Hermannus a. 1841 quos ille libros prosa oratione exaratos cum vulgo crediderat cum aliis rationibus tum reliquis ipsis certa metrorum vestigia prudentibus versibus esse compositos argumentatus trochaicum numerum restituit verbaque illa quae sunt de Plauti comoediis, quae ad DIDASCALICON libros recte referri concessit, hoc modo descriptis (Opp. VIII p. 392)

*Namque nec Gemini lenones, nec Condalium, non Anus
Plauti, nec Bis compressa aut Boeotia eius umquam fuit,
Neque adeo Agroecus, neque Commorientes sed Marci Titi,*
sed ut is quoque ultimi nominis scripturam in ambiguo relinquenter.

Hermannii sententia Ritschelius excepta et hos versus esse et trochaicum numerum instaurandum probavit. Qui cum ea de re ageret in dissertatione de Plauti nominibus a. 1841 edita, repetita autem in Parergon Plautinorum volumine I, felici ingenio contigit ut quae in extremis verbis versibusve Accianis dubia et incerta cum Madvigo Hermannus destituerat obscuritate sublata in clara luce reponeret. Memor enim vestigiorum Plautini nominis a vulgato diversi a se in codice Ambrosiano repertorum *T. Maccium* potius quam *M. Accium* indicantium scripturisque Gellianis quae essent in versibus Accianis accuratissime excussis eo devenit ut in extrema parte verborum Accii non alias cuiusdam poetae nomen sed ipsius Plauti restituendum intelligeret splendidoque acumine paene ultiro ex ipsis codicium scripturis prosilientem formam nominis *Macci Titi* suscitaret: in cuius rei fidem addidit idem nomen eandemque eius formam ex simillima specie scripturae in versu prologi Mercatoris Plautinae (10) recuperari, quem versum ita scribendum docuit.

Eadem Latine Mercator Macci Titi.

Versuum autem Accianorum tertius utpote iam exitu eius restituto necesse erat seorsum ab Hermanni ratione emendaretur: id quod Ritschelius ita temptavit ut tria proponeret exempla; sic enim ambigebat ipse propter renuentium verborum asperitatem; posse autem scribi putavit

- vel *Nec fuit adeo Agroecus neque Commorientes Macci Titi*
- vel *Neque Agroecos neque adeo Commorientes fuit Macci Titi*
- vel *Neque adeo fuit Commorientes neque Agroecus Macci Titi.*

Ad eandem causam disceptandam post Ritschelium accessit Lachmannus qui in prooemio a. 1849 (Opp. p. 67) ita disseruit, ut a Ritschelio restitutum Plauti nomen et eius nominis formam Accii versibus redditam vehementer probaret, sed Sotadeorum versuum naturam et usum subtiliter perscrutatus de Accii DIDASCALICON libris ita sentiret, versibus illos quidem compositos fuisse sed non quibus Hermannus et Ritschelius voluerunt trochaicis, sed ionicis illis a Sotade poeta denominatis, quorum normas modo descripserat. Itaque, ut mittamus reliqua, illos tres versus, qui nobis sunt in manibus, hoc modo dimensus est.

*Nám nec Geminéi Leones néc Condalium nec
Plauti Anus, nec Bis compressa néc Boeotia éius*

*Umquam fuit, neque adeo Agroecus néque Commoriéntes
Macci Titi.*

Et haec, ut sunt sagaciter commenta, non paucos nacta sunt sponsores, in quibus Hertzium et Fleckeisenum. Ritschelius vero a Lachmanni sententia quam sibi quoque primitus probatam fuisse dixit paulatim deflexit, qui fragmentis Plautinis tractatis ad hanc causam reversus (in Opp. vol. III p. 182) et quibus incommodis ista conformatio laboraret perspicue explicuit et pristinam suam opinionem repetiit, qua credidit trochaeum numerum, non quem ille suasit Sotadeum agnoscendum esse, nisi quod tertium ex iis versum paulo aliter nunc quam antea scribendum esse coniecit. Atque hos tres tetrametros ab Hermanno Ritschelioque constitutos

*Namque nec Geminei lenones nec Condalium, non Anus
Plauti, nec Bis compressa aut Boeotia eius umquam fuit,
Neque Agroecus neque Commorientes adeo fuit Macci Titi*

qui contulerit cum Lachmanni Sotadeis, facile, opinamur, intelliget, multo hos esse quam illos probabiliores. At certi tamen in iis nihil est nisi a Ritschelio inventum nomen *Macci Titi*, quod in utroque genere metrorum suam sedem obtinuit. Verum *eius* post *Boeotia* iam ab Hermanno de conjectura inculcatum et a reliquis servatum quam Ritschelius putabat fidem habere a quorundam codicum infimae sortis (Parerg. p. 13 n.), eam nullam esse Hertzii adnotatio ad Gellium evicit; neque hoc neque *fuit* in altera parte adiectum aut *adeo* suo loco motum multum ad orationis formam aut elegantiam facere, quicumque non occupata mente verba ipsa examinabit, haud difficulter persentiet. Quibus omissis appetat de versibus tantum non actum esse.

Denique Buechelerus a Sotadeis Varronianis profectus cum in eorum versuum condicionem et usum denuo dedita opera inquireret, et quos Lachmannus Accii Sotadeos esse voluit nullos esse intellexit, et reliquias DIDASCALICON habere illas quidem etiam versiculos unum et alterum, sed alias generis, non ionicos, pleraque autem a doctis hominibus invita in versuum mensuram coacta pedestrem prae se ferre sermonem sibi persuasit: itaque Accium statuit hoc opus litterarum universe sermonem esse voluisse, non carmen, immixtis tamen hic illie versibus, alienis aut suis, ut ad saturae Varronianae naturam proprius accedere videretur. Haec ille breviter, ut solet, sed liquido exposuit in mus. Rhen. vol. 35 (1880) p. 401. Accii verba, quae nos disceptanda sumpsimus, non attigit, non quod negaret, opinamur, ea recte ad DIDASCALICON opus referri, sed quia noluit nisi de iis agere quae ad eos libros pertinere testimonio constaret, sed ea verba eum metro inclusa maluisse quam pedestria habere credibile non est. Cui opinioni nos favere cum supra iam significatum sit, tum ad eam defendendam fortasse disputatio nostra nonnihil conferet.

Ut Hermannum Ritschelius, ita Buechelerum exceptit Leo, qui in illis egregiis Quaestionibus Plautinis (p. 32) hoc testimonium Accii de Plauti fabulis in transcurso magis quam tota causa exposita tractavit ita ut et Ritschelii versus obtinenti obviam iret et Buecheleri rationibus probatis hanc pedestrem esse orationem confirmaret, sed maxime

ad explicandam orationis formam verborumque sententiam aperiendam se daret. Is enim quoniam duplex Plauti nomen in superstitione fabularum prologis occurrit, in paucis *Plauti*, semel in Mercatore *Macci Titi*, hanc opinionem mente concepit, Accium, cuius verba eandem nominis discrepantiam habent, eas fabulas, quas negat Plautinas esse, prologorum earum ratione habita, aut *Plauti* esse aut *Macci Titi* negitavisse, utpote qui prologis, qui non sint Plautini, fidem non esse habendam sibi persuasisset; sed Accium non substituisse in discernendis duobus generibus fabularum falso ad Plautum relatarum sed tertium addidisse quod medium inter illa duo diverso Plauti nomine discreta intercedere voluisse, et hae quia fabulae essent origine non testata, ad eas nullo Plauti nomine adiecto verba *umquam fuit* adscriptissse*).

Sed in his, quae non negamus scite esse excogitata, sunt tamen quae parum probabiliter disputari nobis videantur. Nam ut mittamus interim quae ille de prologis Plautinis magis sumpsit quam probavit, quam tertiam classem fabularum Plauto iniuria adscriptarum esse iussit, ea quomodo verbis distincta sit, ut a legente recte accipiatur, ambigimus nec satis certo dispicimus. Cuius rei causam quod Leo si recte intelligimus a genere loquendi artificiosiore repetendam duxit, de elocutione nos secus sentimus. Artificiosam enim hanc esse orationem aut insolita collocatione verborum insignem tantum abest ut concedamus ut nihil simplicius esse hac sententia posse affirmemus. Nam cum haec diceret Accius *nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus nec Bis compressa nec Boeotia Plauti umquam fuit*, prolixam enumerationem fabularum in duas series dispositi paene pares, ut sua ad utramque seriem pars praedicati, quod unum est sed item in duas particulias distributum, aptaretur. Unde haec nata est oratio *nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit*. Eam autem orationis formam, qua Accium usum videmus, consuetam sermonis Latini structuram esse exemplorum fides quae mox afferentur probabit. Interim hoc dicimus mirum esse

*) In adnotatione ponimus verba ipsa eruditii viri, quae, quod ne ipsum quidem fugit, habent aliquid difficultatis intelligere cupienti, si forte invitis nobis acciderit ut de eius sententia non satis recte aut non satis plene referremus. Scribit igitur l. s. c. haec:

In den Prologen zu Gemini lenones, Condalium, Anus war der Genetiv des Dichternamens Plauti, zu Agroecus und Commorientes Macci Titi. Es sind Kategorien, die Accius durch die Namen und ihre Stellung bezeichnet, etwas gesucht, wie man es von ihm erwarten muss. Er sagt damit: obgleich die 3 Stücke ausdrücklich des Plautius und die beiden andern des Maccus Titus heißen, sind sie doch nie von ihm gewesen; woraus folgt, dass er die Prolege für unplautinisch hielt. Dazwischen stehen ohne einen von Plautius Namen Bis compressa und Boeotia: nun wissen wir, dass die Boeotia einem anderen Dichter zugeschrieben wurde, und die Bis compressa erscheint nirgend wieder, es ist also nicht unwahrscheinlich, dass sie unter den unbezeugten war. So scheidet er die dritte Kategorie der dem Plautius willkürlich zugeschriebenen und setzt das umquam zu diesen, wie adeo zu Agroecus und Commorientes; und man muss gestehen, dass er durch eine ungemein künstliche Wortstellung für den Leser, der im Zusammenhang war, die Scheidung deutlich gemacht hat. Mir scheint dies völlig beweisend, und es ergibt sich daraus einmal dass der Agroecus echt war wie die durch Terenz bezeugten Commorientes . . : zum andern, dass Plauti weder umgestellt noch sonst korrigiert werden darf; endlich dass von Versen hier keine Rede mehr sein kann.

neminem omnium, qui his verbis stabiliendis operam navarunt, genus structurae recte aestimasse, praeter unum fortasse Madvigium, qui certe abstinuit inepta interpunctione qua ceteri usi, cum post *Plauti* distinguerent, orationis formam quam non intelligebant ultro corruperunt. Gravius etiam peccatum est ab iis, qui *eius* pronomen post *Boeotia* metri scilicet causa inseruerunt, quod ut nullum praesidium habere a codicum memoria supra diximus, ita nisi cum insigni detimento orationis constare non potuit. Ritschelius autem, quo fortius negaret illam pedestrem esse orationem, cum hoc exemplo ludibrii causa a se facto uteretur (Parerg. p. 86 n.), *nec Titus nec Sempronius Varronis, nec Caius nec Publius eius discipulus umquam fuit, nec adeo Titus nec Aulus fuit Terentii Marci, qualia nimirum nisi poetae non concederentur, ne dicamus pravam interpunctionem et falso adiectum eius*, certe ut rite comparationem iniret, simile suum ita instituere debebat, *nec Titus nec Sempronius Varronis discipulus nec Caius nec Publius umquam fuit* (ut in hac parte nunc subsistamus). Quam conformationem quis qui intelligit non videt et pedestrem esse revera nec ullo modo vituperabilem aut poetarum licentia vindicandam, comparem autem et comparabilem sic demum Accianaee illi quam libri tradunt existere, quae tum vituperabilis esse coepit cum propter mensuram a sua primitiva forma criticorum arbitrio demutata est. Unde intelligitur quam credibile sit quod Ritschelius maxime etiam atque etiam asseveravit Accium istam sententiam non posse nisi versibus expressisse; quem virum acutum mirum est profecto non vidisse orationem quam exempli causa finxit nec pedestrem esse neque vero poeticam sed nescio qua imperitia loquendi procreatam.

Sed quo magis patet orationis conformatioinem qua Accium usum esse diximus familiarem fuisse scriptoribus Romanis exempla afferimus, selecta ex multo pluribus quae afferri potuerint sed quae satis erunt ad fidem faciendam. Itaque Cicero scribit in Antonium v 18, 49

filii qui cum omnibus est tum optimo cuique carissimus

Ibid. ix 1, 1 *nec dubito quin reditus eius et vobis gratus fuerit et rei publicae salutaris futurus*

Ibid. ii 21, 51 *cum ab hoc ordine ego conservator essem tu hostis rei publicae iudicatus.*

Agnosciturne aliquid similitudinis cum ista oratione Accii *nec Condalium Plauti nec Boeotia umquam fuit*. An secus putamus in his exemplis praedicati unitatem dispergitam per partes partibus orationis accommodari? Addimus alia. In Antonium vi 3, 7

nec vero de illo sicut de homine aliquo debemus sed ut de importunissima belua cogitare

Ibid. vi 4, 9 *malet me sapientem a vobis quam se modestum existimari*

Ibid. vii 8, 21 *quo ore vos ille poterit quibus vicissim vos illum oculis intueri*

Ibid. ix 1, 3 *ego sic interpretor sensisse maiores nostros ut causam mortis censuerint non genus esse quaerendum*

Ibid. II 21, 52 *quid cupide a senatu quid temere fiebat; hoc est enim quid cupide quid temere a senatu fiebat.*

Ibid. II 36, 91 *ne qua post Idus Martias immunitatis tabula neve cuius beneficii figeretur; quod maluit, cum posset ne qua immunitatis neve cuius beneficii tabula figeretur?*

Ibid. XI 6, 15 *quid enim atrocis potuit quid severius decernere*

Post red. in sen. 6, 13 cum vero in circulo Flaminio non a tribuno pl. consul in contionem sed a latrone archipirata productus esset.

De domo sua 15, 40 tu M. Bibulum in contionem tu augures produxisti.

Licebit fortasse ut hoc in praetereundo addamus hac observatione structurae Ciceroni valde adamatae uti in vindicandis vel explicandis verbis quae sunt in oratione post redditum in senatu habita, ex qua unum supra allatum est exemplum, poterant afferri plura. Dicimus haec c. 10, 25.

Nam Q. Metellus et inimicus et frater inimici, perspecta vestra voluntate omnia privata odia depositus; quem P. Servilius, vir cum clarissimus tum vero optimus mihius amicissimus, et auctoritatis et orationis suae divina quadam gravitate ad sui generis communisque sanguinis facta virtutesque revocavit, ut haberet in consilio et fratrem [ab inferis], socium rerum mearum, et omnes Metellos praestantissimos cives paene ex Acheronte excitatos, in quibus Numidicum illum Metellum), cuius quondam de patria discessus honestus omnibus sed luctuosus tamen visus est.*

*) In editione Teubneriana, qua nulla magis uncorum deliciis gaudet, non solum verba ab inferis inclusa sunt sed etiam proxima sic scripta exhibentur *in quibus Numidicum illum [Metellum].* In praefatione haec adnotavit editor: ‘*Metellum del. Halm, Klotz.*’ Adimus Kayserum, in cuius editione item *Metellum* uncinatum legitur in praefatione hac addita adnotatione: *illum Manutius, E* (h. e. editiones superiores omnes), *illum Metellum C* (h. e. codicum consensus); dein Halmii volumen evolvimus: non habet nomen illud in textu sed adnotat *illum Manutius; illum Metellum codices.* In Orelliana prima nihil nominis in textu, in adnotatione altum silentium. Inspeximus Graevianam a. 1696, quae commentarium Manutii adnexum habet. In textu *in quibus Numidicum illum*, in commentario Manutii *οὐδὲ γρῦ.* In Lambini Sanctandreana a. 1584 in textu nomen non legitur, in adnotatione Lambini nihil, quamquam is pluribus verbis egit de verbis viciniis *ab inferis.* Quis igitur est aut qua ratione usus is qui primus hoc nomen ex Ciceronis oratione sustulit? id quod nos, quoniam nostram causam non ita attingit, editorum Tullianorum diligentiae, quae quanta fuerit vel hoc exemplo cognoscitur, indagandum relinquimus; quibus id quoque auctores sumus ut iustigare velint, in qua editione hoc nomen prima desideretur consultum an per errorem verba *Numidicum illum Metellum* extremo nomine deminuta sint. Nos ad hanc rem cum delati simus in eo subsistimus ut quaeramus editores novicii quo consilio hoc nomen, quod simul omnium codicum fide niti profitentur, tamen exulare iusserint: qui si meminissent, ut omittamus Numidici illius Metelli quoties mentio fiat apud Ciceronem, in Sestiana 62, 130 in eadem re narranda ita dici *ut etiam Q. Metellus consul . . . de mea salute rettulerit.* Qui excitatus . . . *P. Servili quadam gravitate dicendi, cum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos et ad illius generis . . . dignitatem propinquai sui mentem . . . reflexisset,* cumque eum ad domestici exempli memoriam et ad Numidici illius Metelli casum vel glo-

Ex quibus Lambinus primus, dein Madvigius (Adv. crit. II p. 212 fg.), iisdem paene uterque rationibus et verbis usus verba *ab inferis* expulerunt, utpote quae interpretamenti loco ad insequentia *paene ex Acheronte* adscripta primum, post alieno loco in ordinem inducta essent. Sed si haec tantum scripta erant *ut haberet in consilio et fratrem socium rerum suarum et omnes Metellos praestantissimos viros paene ex Acheronte excitatos*, vix erat quod illa perspicuae orationi interpretandi causa adscriberentur, nisi quis forte de varietate dicendi admonere voluit quia Cicero et paulo post 26 *ab inferis excitandos* et pro Marcello scribit 6, 17 *multos Caesar ab inferis excitaret* et in eadem re referenda ita loquitur in Sestiana 62, 130 *cum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos*; sed ne id quidem valde probabile est propterea quod verba *ab inferis* non alieno loco adiecta sunt sed suo, quoniam frater quoque Metelli (de quo vide Sest. 62, 131), utpote iam mortuus, revera erat *ab inferis* evocandus et aptum erat hoc statim in commemoratione fratris addi. Ut breviter dicamus, nobis Cicero ex illa quam explanavimus structura hoc videtur voluisse *et fratrem ab inferis et omnes Metellos excitatos*; quod quia non tam simplici oratione sed uberiore paulo ac verboso exprimitur, factum est ut deinde ad *Metellos additis quibus opus non erat ex ista ratione verbis paene ex Acheronte* eandem quam ante sententiam sed variata oratione referret et graviore. Itaque si quid demendum est, haec potius demantur oportet, quae tamen quis a se impetrabit ut ab Cicerone abiudicet.

Sed quod Ciceronem, si quid peccatum est, peccavisse ipsum arguimus, ne cui mirum videatur, en alterum exemplum, vilius illo, sed quod tamen non infructuosum sit attendisse. In tertia decima oratione in Antonium 17, 36 ex Antonii epistula haec afferuntur.

difficile est credere eos, qui me praecipitem egerint aequissimas condiciones ferentem et tamen ex iis aliquid remittere cogitantem, putare aliquid moderate aut humane esse facturos.

Apparet duo verba *credere* et *putare* se excipere apte in hac oratione non posse: poterat utrumque recte scribi, aut *difficile est credere, eos qui . . . egerint, humane esse facturos* aut *difficile est eos qui . . . egerint putare humane esse facturos*. Ambo verba in eodem enuntiato iungi molestum est. Itaque olim veteres critici *putare* ut errore natum induxerunt, verissimo illi quidem sensu, quoniam si alterum utrum abiiciendum est, *putare* verisimilius est esse quod praeter opinionem scribentis adiectum sit. Sed *putare* abesse non potest quippe quod Prisciani testimonium tueatur haec afferentis lib. xv p. 70, 10 *Cicero in XIII Philippicarum “putare aliquid moderate aut humane facturum.”* Itaque *credere* de sede sua deiiciendum est, quod librarius, ait Madvigius (Adv. crit. III p. 155), ad *difficile est* addidit, cum nondum animadvertisset sequi *putare*.

riosum vel gravem convertisset, conlaczimavit vir egregius ac vere Metellus eqs., forsitan intellexissent nihil magis appositum in illa oratione potuisse scribi, quam quod exaratum esse in libris scriptis ipsi testantur omnes Metellos . . . in quibus Numidicum illum Metellum.

Sed hoc librarius ubi animadvertisit, cur non illico mutavit quod falso scripserat? At credere optime locum tuetur, quocum statim initium pendentis orationis coniungatur, difficile est credere eos qui . . ., nec ulla re hoc verbum vituperari potest nisi quod insequitur alterum verbum eiusdem significationis, quod et ipsum commodo loco positum est sed praecedente illo nec desiderabatur et structuram impedit. Quid ergo est? Nisi corrigere auctorem epistulae volumus, utrumque verbum retinendum est et sic statuendum, scriptorem, ut fit, immemorem eius quod iam posuit invitante oratione suo loco non idem iterum sed simile verbum posuisse.

Non ignoramus hoc genus, cuius nos uno exemplo et ne Tulliano quidem defuncti sumus, apud ipsum Ciceronem latius patere, sed nobis satis sit verbo significasse argumentum, quod ampliorem indagationem requirat; quam operam aliis et iunioribus potissimum sumendam relinquimus.

Nos redimus illuc, et quoniam Ciceronis usum declaravimus, ab eodem dicendi modo ne Graecos quidem abhorruisse paucis exemplis oratoris Attici probare volumus, Lysiae. Qui ita scribit

- 4, 8 ἡ δὲ τοιὲ μὲν ἐμὲ περὶ πολλοῦ, τοιὲ δὲ τοῦτον φῆσι ποιεῖσθαι.
- 6, 25 καὶ τούτων πότερα τὸς θεοὺς χρὴ ἡ τὸ αὐτόματον αἰτιᾶσθαι.
- 12, 1 ὥστε μήτ' ἀν ψευδόμενον δεινότερα τῶν ὑπαρχόντων κατηγορῆσαι
μήτε τἀληθῆ βουλόμενον ἐπεῖν ἄπαντα δύνασθαι
- Ibid. 64 ὥσπερ πολλῶν ἀγαθῶν αἰτίον ἀλλ' οὐ μεγάλων κακῶν γεγενη-
μένουν
- 34, 5 οὐδὲ τοὺς λόγους πιστοιέροντος τῶν ἔργων οὐδὲ τὰ μέλλοντα τῶν γε-
γενημένων νομιεῖτε.

Quibus unum addimus Thucydidum, quod 1, 37, 2 legitur

ἐπειήδενσαν ξύμαχόν τε οὐδένα βούλόμενοι πρὸς τὰδικάτα οὐδὲ
μάρτυρα ἔχειν οὔτε παρακαλοῦντες αἰσχύνεσθαι.

Tandem e deverticulis revertimus ad verba Accii, quorum partem priorem seorsum a reliquis, quo magis conformatio pateficeret, declarare studuimus, sed ea cum iis quae restant unam orationem efficiunt et hoc totum una expendatur necesse est: nam nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit neque adeo Agroecus neque Commorientes Macci Titi. Unde primum appetit verba umquam fuit ex superiore parte referri etiam ad haec postrema: nec Anus Plauti nec Boeotia umquam fuit neque Commorientes Macci Titi (umquam fuit), et quod propter metricam conformatioem fuit in hac altera parte addiderunt, oratione recte aestimata vanum esse intelligitur. Atqui ne nomen quidem erat quod iterum poneretur, quoniam non solum umquam fuit sed Plauti umquam fuit in hac iunctura sententiarum audiri poterat: cum enim ita dicit nec Anus Plauti nec Boeotia umquam fuit neque adeo Commorientes, quis expectat genetivum nominis addi? Vel si tamen scriptor genetivum abesse noluit, pro nomine licebat pronomine defungi eius. Sed quia Macci Titi scriptum est, quae eadem in prologo Mercatoris leguntur, et quia vis quaedam pernegandi in iis sit

quae dicit nec *A. Plauti* umquam fuit neque adeo *C. Macci Titi*, his rationibus adductus Leo Accium existimavit prologis de fabularum origine Plautina testantibus obloqui ita quidem ut ad eorum indicia suae orationis formam accommodaret. In qua re hoc primum dicimus, licet nobis satis probasse videamus priorem partem sententiae Accianae unum efficere nec distribui in partes duas, ut ille voluit, quo tria essent quae separarentur fabularum genera, tamen orationis formam non impedire, quo minus duo saltem genera comoediarum distinguuntur, quorum alterum *Plauti*, alterum autem *Macci Titi* nomine designetur, et quoniam, ut diximus, *Plauti* nomen saepius in prologis, semel *Macci Titi* occurrat, ex prologis Plautinis ductam Accii orationem statuatur. Sed haec quae fieri potuisse non negamus, quam fidem habere dicamus, nos valde ambigere fatemur. Nam quamvis speciosum sit, *Macci Titi* nomen et in prologo Mercatoris et in Accii sententia haberis, quo iure sumimus idem Plauti nomen in aliis quoque prologis lectum fuisse et earum praesertim fabularum quas *Macci Titi* esse Accius negabat. Cuius sententiam, quae hodie extat, videmus medium depromptam esse ex ea quam instituit de Plauti fabulis disputatione, in qua fieri non potuit, quin saepius Plauti nomina, cur enim unum solum, ponerentur ante. Sic certe universae sententiae, quam cui hariolari libet hoc modo animo sibi informet ‘multae sunt fabulae quae a doctis hominibus pro Plautinis habeantur, quas ad Platum poetam referre non licet’ confirmandi causa subiiciuntur illa quae nos legimus exempla: *nam nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit neque adeo Agroecus neque Commorientes Macci Titi*. Et quoniam Accius non primus sed ante eum alii in veritatem fabularum Plautinarum inquisiverunt (hoc enim Gellius testatur, cum ineunte illo capite ita scribit qui plerasque *Plauti* comoedias curiose atque attente lectitarunt non indicibus *Aelii* nec *Sedigitii* nec *Claudii* nec *Aurelii* nec *Accii* nec *Manilii* super his fabulis quae dicuntur ambiguæ crediturum sed ipsi *Plauto*), quid vetat statuere illorum eum opinioni suum opposuisse iudicium prologorum nulla habita ratione? Qui quod aliis obloquitur, satis causae est cur graviore negandi formula utatur: fortius enim negat qui dicit fabulas Plauti numquam fuisse quam qui Plauti non esse, quamquam ne nimium huic dicendi modo tribuamus, reminiscendum est, apud comedicos *numquam* nimis saepe in simplici negatione poni solere, velut, ut hoc exemplo utamur in re nota, Terentius ait *Andr.* II 4, 7 *numquam* *hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum*; ad quae Donatus sane adnotat *numquam plus asseverationis habet quam non*. Omnino nihil difficilius est aut periculosius quam orationem ex suo tenore sublatam, cum per se spectatur, iuste taxare sic ut nihil ei plus tribuatur neque minus quam par sit. Velut in Accii verbis quod prioribus comoediis per particulas *neque adeo* duae quae restant adduntur, non hoc indicat, ut nobis videtur, magis mirum esse aut minus credibile, has etiam a *Plauto* abuidicari: ut *Agroecum* mittamus, de qua nihil compertum est, ne *Commorientes* quidem a *Terentio* testatam fabulam sed a *Varrone* viginti unius fabularum corpore non receptam putamus hanc vim vocis flagitare, quamquam *Ritschelius* olim (*Parerg.* p. 15), nunc *Leo* aliter sentiunt; sed ita interpretamur, ut quia enumeratio fabularum falsarum etiam

longius procedit et ad significatas ante aliae adduntur et novae, idcirco his particulis iunctis oratio progreedi videatur, quas seiungi velle ob metri necessitatem nimis erat improbare. Sed usum *adeo* particulae, quae plurima est vel in Terentii comoediis, magnae varietatis esse constat, ut aegre una notione amplecti liceat: sed hoc certum est saepe vim eius vocis cum alterum alteri adiicitur valde elevari, vix ut percipiatur aut reddi apte possit. Veluti quid magni discriminis putamus intercedere cum Thais dicit in Eunicho 744 *Scin tu turbam hanc propter te esse factam et adeo ad te attinere hanc omnem rem;* aut in illis in Phormione 931 *credis te ignorarier aut tua facta adeo.* Sed esto: neque enim fidentius affirmamus, sed hoc dicimus cavendum esse ne Accii verbis sic per se consideratis tribuantur quae aliena sunt. Quod idem fortasse cadit in nomen ab Accio positum pro eo quod poterat pronomine (*Macci Titi pro eius*), quamquam ne pronomen quidem desiderabatur. Neque enim satis tuto proprii quid aut peculiare ex ea re efficitur quae dubium non est quin communem usum sermonis Latini sequatur. Poetis vel talia placuerunt: Horatio C. iv 8, 22 *quid foret Iliae Mavortisque puer si taciturnitas obstaret meritis invida Romuli:* satis erat *eius*, sed quem ante descripsit, dein nomine appellat, iniuriaque Hermannus (relat. Lips. i 282). *Romuli*, ne bis idem diceretur, mutandum censuit, recte accepit Bentleius ad C. i 7, 27; Epod. 3, 9 *ut Argonautas praeter omnes candidum Medea mirata est ducem, ignota tauris inligaturum iuga perunxit hoc Iasonem:* cum nec nomen proprium neque vero pronomen addendum esset; Tibullo i 1, 18 *pomosisque ruber custos ponatur in horris, terreat ut saeva falce Priapus aves.* Sed idem quod poetae scriptorum consuetudo probavit, nonnumquam criticorum iniuriis condemnata. Quod genus Tacitus scribit dial. c. 13 *populus qui auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est:* nam abesse nomen altero loco potuit et deletur a nonnullis; sed abesse nomen potuit etiam in Ciceronis Acad. ii 34, 111 *ne illam quidem praetermisisti reprehensionem Antiochi: nec mirum: in primis enim est nobilis: qua solebat dicere Antiochus Philonem maxime perturbatum;* aut in Tusc. disp. iii 32, 77 *non satis mihi videtur vidisse Cleanthes, suscipi aliquando aegritudinem posse ex eo ipso quod esse summum malum Cleanthes ipse fateatur,* ubi sunt qui alterum *Cleanthes* inducant. Sed Accius non solum repetiit nomen, quo abstinere potuit, sed repetiit mutata forma ut quem ante *Plautum* vocarat, dein *Maccium Titum* appellaret: id quoque scriptorum more, ut ne in ea quidem re nescio quae reconditor causa delitescere videatur. Cicero quidem nonnumquam subito nomen aliud pro alio ponit, quod inscientem obstupefaciat ac perturbet, qui in Legibus i 2, 6 quem modo *Antipatrum* statim *Coelium* dixit, eademque varietate usus de orat. ii 12, 54 *addidit inquit maiorem historiae sonum vocis Antipater . . est ut dicis, sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam neque . . ,* aut in defensione Milonis, quem *Milonem* vocat plerumque, aliquotiens *T. Annium*, mutatis etiam in vicinia nominibus, velut 2, 6, appellat, in principio autem Laelii haec scribit *Q. Mucius augur multa narrare de C. Laelio socero suo solebat . . ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam,* ut a senis latere numquam discederem: quibus nominibus cum saepe variet in primo

de oratore, tum de finibus i 3, 9 haec dicit: *ut a Scaevela est praetore salutatus Athenis Albucius, quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius**), *apud quem paeclare Scaevela, interpositisque versibus pergit sed iure Mucius; et in Catone mai. 7, 25 eadem oratione modo Statius noster, modo et bis quidem Caecilius vocatur.*

Quod vero Accius *Macci Titi* nomina hoc ordine h. e. praenomine postposito maluit quam inverso afferre, hoc is qui primus haec nomina restituit Ritschelius (Parerg. 15) poetarum more vindicavit quem Accius in versibus scilicet quos ille voluit secutus esset; sed idem genus ne a pedestri quidem oratione alienum fuisse exemplis probavit. In quibus quidem attulit aut ab aliis afferri dixit quae posterior aetas non iniuria sprevit et depravata esse existimavit, quemadmodum in usu Liviano multo quam I. Fr. Gronovius severius iudicavit Madvigius (praef. ad III 29, 7). Exempla certa postpositi nomini praenominis sunt poetarum Ennii *catus Aelius Sextus* (Ann. 331), Pacuvii *poetae Pacuvi Marci*, si quidem haec Pacuvii sunt, quae Gellius affert i 24, et fortasse eiusdem Ennii *Cornelius suaviloquenti Ore Cethagus Marcus* (Ann. 303), quamquam hoc impeditius est et ex parte quidem videatur ad alterum morem accedere quo iam liberae reipublicae temporibus etiam pedestris oratio hoc sibi sumpsit, ut cognomina nominibus praeponeret et *Macer Licinius, Marcellus Claudius*, atque adeo *Scaevela Quintus* scriberet: quo de genere Mommsenus egit in Quaestionum Romanarum vol. I p. 41 et totam quaestionem quae est de positu nominum Romanorum curiosius persecutus Lahmeyerus in Philologo XXII p. 469 sqq. Quid ergo est? Relabimurne ad opinionem quam explosam putabamus qua Accius suam sententiam versibus exposuisse credebatur? Non opinamur, sed Accio putaveris poetae etiam in prosa oratione hoc licuisse ut qui *Titus Maccius* esset *Maccium Titum* appellaret. Illud contra ambigitur hodie, Plautus fuerit ne revera *Titus Maccius* et ita appellatus sit, et Leo quidem non a *Maccio Tito Macci Titi* sed a *macco Tito* derivari voluit Plautumque, quem in prologo Asinariae (10) *Maccum* dici Buechelerus intellexit, *Maccum Titum* tam in Accii verbis quam in prologo Mercatoris denominari. Quod si recte statuitur, et fatemur nobis valde probari quae Leo de initiis ac progrediente ratione nominum Plautinorum exposuit, ne est quidem quod de transpositis nominibus disceptetur, quae nondum in istum tralaticium et civilem ordinem abierunt, sed Accium intelligimus poetam non potuisse nisi aut

*) In adnotatione afferimus lepidos Lucilii versus, quippe ex quibus item discas, quanta libertate veteres in variandis hominum nominibus usi sint.

*Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Tritanni, centurionum,
Praeclarorum hominum ac primorum signiferumque
Maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,
Id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto:
Χαιρε, οντας, Τιτε, λικτορε, τύρμα ομοίς κοχορσηε:
Χαιρε, Τιτε. hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus.*

Plautum autem macrum Titum appellare neque in ea re pependisse a prologo Mercatoris, qui eandem nominis formationem habebat.

Sed haec utut iudicantur, neque nos fugit quid incerti habeatur in iis quae de altera parte dicti Acciani disputavimus, nos nihil agimus nisi ne nimis secure assentiantur iis quae Leo de prologorum Plautinorum ratione habita ab Accio quamvis ingeniose proposuit, ex quibus veremur ne colligantur quae recto tali stare non possint.

Scr. m. Decembri a. MDCCCC.



UNIVERSITY OF ILLINOIS - URBANA



N30112023694034A